

*se sanguis a sancio, quod corpus veluti sanciat, i. e. stabiliat.*  
 Nos sanguinem in *abstracto* considerantes, solitariam & *simplicem* illius substantiam advertentes, nec a *saliente* motu, nec a *sanctuario* & sacrificio, nec a *conservatrice* qualitate, nec a *calore* illum derivamus, siquidem *omnibus*, hisce qualitatibus aliquandiu *carere*, attamen *sanguis* in sua *essentia* & forma esse potest: *ast nullus sanguis est absque rubore*, quo colore se ab aliis humoribus humani corporis distinguit, ideo omnes *partes sanguiferæ* non pallidæ, sed *rubellæ* sunt: est itaque *inseparabilis* qualitas, *rubor*, qui sanguini vero & sincero *perpetuo* & *semper* adest, licet in uno subjecto *floridior*, in alio *obscurior* existat: GORRÆUS in *definitionibus medic. tit. α. pag. 11. a.* ait: *Sanguis optimus & pulcherrimus multum rubet: & p. 10. b. Hippocrates sanguinem natura calidum esse non existimavit, quod in mortuo animali calorem non retineat, cum tamen alii humores temperamentum proprium etiam post mortem retineant - - ex quo apparet in VIVO animali mistum aliquid esse sanguini, cujus occasione calidus sit: hoc additamentum illico hic author spiritum nominat, nos generatim Motum vocamus.*

§. II.

Posteaquam nonnullas animadversiones circa *Subjecti*, præsentis thematis, notionem instituimus, in quantum illæ applicationibus & *usibus physico medicis* respondent, ita proximum nunc erit, ut *prædicati* rationem *generalem* reddamus, qualem videlicet tractationem, aut explicationem hac nostra opella de *Sanguine* ex parte promittamus, ex parte intelligamus: etenim *amplifica* Sanguinis est disquisitio, ita ut multi medici satis diffuse de *Sanguine* egerint; ex antiquioribus varios collegerunt ZACUT. LUSITANUS